

de hac de re insignem locum, Eph. 2.11.12.13.14.15.16. &c. atque hoc ipsum miraculoſo illo facto testatum fecit Deus, dum Christo in cruce moriente, ac spiritu emittente velu in templo scis- sum, sanctumq; sanctorum omnib. retectum & patefactum est, Marc. 15.38. Et hęc de prima propositione dicta ſufficient.

DE II.

Videamus iam porro, quomodo hanc mortē crucis Christi, ne eam cū gentib. vt ſtultiā reiiciamus, vel cum Iudeis pro abominatione habeamus, sed vt pro Dei ſumma potentia & ſapien- tia eam agnoscamus: Videamus, inquam, quomodo in certiorem fidei nostrae confirmationem, pleniorē doctrinam & ſolidiorem consolationem applicare eam debeamus.

Non mirum vero eſt Iudeos, & gentes, hanc crucis mortem in ſe ſimpliciter, & extra ſcripturam intuentes, eius dedecore, & ignominia, qua utique plena eſt, offendit. Nos verò cum ex Scriptura, & diuinis oraculis eam intueamur, non modò nullam offendit, ſeu ſcandali, ſed ſummam consolationis, gloriatio- nis & gaudii cauſam in eadem reperimus, ſtatuentes cum Pa- lo, in nulla re nobis tam confidendum, gloriandum, & exultan- dum, quam in hac morte crucis Christi. Gal. 6.

Quod enim in vera fide nos confirmat, id non vili pendēdum, mul- tò minus vero pro ſtultiā, aut dedecore habendum, ſed ſummo po- tius studio tenendum, & credendum eſt.

Atqui totus crucifixionis Christi actus, ipsaque in cruce licet ignomi- niosa mors, in fide vera, quod nimirū Iesuſ ille crucifixus, ſit Chri- ſtus, id eſt promiſſus Messias, ſeu mundi Seruator, multis argu- mentis ſolidè nos confirmat.

Ergo crucifixio Christi non dedecorat, vel Christianos, vel fidē eorum, ſed vel maximē honorat eos, & ſummo propterea studio ab eis te- nenda, credenda, & prædicanda eſt.

Assumptionis probationes varias ipſa crucifixionis historia, ſi ad Prophetarū vaticinia eam referamus, nobis subministrat, nos præcipuas tantum breuib. notis hīc perstringemus.

T 2